

Compositum est, quod ex simplicibus fit, vt arborum, fruticum, herbarum foliis, floribus, seminibus aut aliis partibus medica vi pollentibus, oleo oliuarum aut oleo simplici, vel maceratis, vel insolatis, vel incoctis. Ex floribus enim insolatu conficiuntur, cum concoctionem non tollerent. Et ex his quidam diu, quidam pauco tempore insolantur, vt meliloti, keyri, sambuci. Quædam insolatu tenuiora redduntur & utiliora, vt ex rosis, chamomelo, liliis albis. Quædam antequam coquantur, duplici vasi incoquantur, vt anethinum, nardinum. Hæc tam diu in olla relinquuntur, vsque dum oleum materiæ vires prorsus exceperit, & tum exprimitur & reconditur. Quæ olei conficiendi ratio pharmacopœis vsitatissima est, quibus etiam sine dispendio vti licet, cum contra destillatione elicitis, non nisi cum magna cautione vti liceat.

Ex oleis vsitatis quædam calefaciunt, quædam vero refrigerant. Calefacientia, rarefacientia & quæ digerunt, sunt, chamomelin, anethinum, quibus efficacius est oleum amygdalarum amararum, nucum, ex semine ricini, ex cocto, ex ruta. Potentius erit oleum vulpinum. His destillata de origano, de aniso, hyperico, thymo; sic de castoreo, de croco, expressum etiam ex baccis iuniperi, lauri, de lateribus.

Verum nonnulla calefaciunt & humectant, simulque laxant, vt liliaceum, amygdal. dulc. de sesamo, sic etiam quæ destillatione eliciuntur ex gummatis, ammoniaco, sagapeno, opopanace, galbano, ladano, quibus ad frigidos dolores podag.